



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio XXX. De pluralitate personarum in diuinis, in quatuor articulos
diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82303](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82303)

differentia siue modo, quo persona communiter sumpta per se contrahitur ad personam diuinam; cum vnus affirmet contrahi per se relatione, alius autem neget, & per absolutum limitari contendat. Itaque non est necesse eos habere conceptum indifferentem de persona diuina, sed tantum de persona communiter sumpta, de cuius limitatione per extraneam differentiam ambo conueniunt, sed in contractione, quæ est per differentiam per se, longè dissident. Secundò respondetur nullam esse vltimam consequentiam; Quoniam admissio prædictos disputantes habere conceptum de diuina persona indifferentem ad absolutum & relatiuum, non sequitur; ergo persona diuina significat indifferens &c. Nam duplex indifferentia potest in aliquo nomine & eius significato considerari; vna quæ attenditur secundum conceptionem in re fundamentum habentem, ad quam conceptionem per se primò significandam impositum est nomen; sicut nomen animalis impositum est ad significandam naturam sensitiuam, quæ realem habet vnitatem in pluribus speciebus, & ideo fundat conceptum communem & ad plures illas species indifferentem. Alia est indifferentia nominis & conceptus, quæ attenditur secundum conceptionem in opinione, vel propria vel alterius falsa fundatam, qualis est communitas analogica huius nominis Deus, ad verum Deum & ad idolum, vt explicat S. Th. supra q. 13. a. 10. & talis est etiam communitas & indifferentia huius nominis persona diuina; fundatur enim in sola falsa opinione negantis diuinam personam relatione constitui, & opinantis eam constitui per modum aliquem absolutum; sic enim multiplicat in diuina persona considerationes modorum constituendi, cum tamen secundum veritatem sit vnus scilicet relatiuus. Et quemadmodum non valet ista consequentia, Paulus affirmat animal bipes quod est homo, esse rationale, & Petrus negat, & ait esse irrationale; Ergo conceptus est nomen animalis bipedis, siue hominis absolute est indifferens ad rationale & irrationale: ita non valet in re proposita.

QVÆSTIO XXX.

De pluralitate personarum in diuinis, in quatuor articulos diuisa.

DEinde quaritur de pluralitate personarum. Et circa hoc quaruntur quatuor.

Primò, Vtrum sint plures persona in diuinis.

Secundò, Quot sunt.

Tertiò, Quid significant termini numerales in diuinis.

Quartò, De communitate huius nominis, persona.

Ratio ordinis huius quæstionis ad præcedentem, & articulorum eius inter se.

IN INTRODVCTIONE præcedentis quæstionis affertur à D. S. ratio ordinis huius quæst. tam ad præcedentem, quam ad subsequenter. Ordo verò articulorum hic est: Proponitur primò quæstio, an sit pluralitas personarum in diuinis. Secundò quæstio, quanta sit illa pluralitas. Tertiò quid sit, dum quaritur, quid significant termini numerales in diuinis. Postremo, quia ad omnem pluralitatem eius, quod in plura distinguitur, sequitur in

illo quadam communitas; ea propter in postremo articulo de communitate huius nominis persona differitur: de cuius pluralitate disputauerat in tribus iam dictis articulis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum sit ponere plures personas in diuinis.

AD Primum sic proceditur. Videtur, quod non sit ponere plures personas in diuinis. Persona enim est rationalis natura indiuidua substantia. Si ergo sunt plures persona in diuinis, sequitur quod sint plures substantia. Quod videtur hæreticum.

2. Præterea. Pluralitas proprietatum absolutarum non facit distinctionem personarum, neque in Deo, neque in nobis, multo igitur minus pluralitas relationum. Sed in Deo non est alia pluralitas nisi relationum, vt supra dictum est. Ergo non potest dici, quod in Deo sint plures persona.

3. Præterea. Boet. dicit de Deo loquens, quod hoc verè vnum est, in quo nullus est numerus: sed pluralitas importat numerum. Ergo non sunt plures persona in diuinis.

4. Præterea. Vbiunque est numerus, ibi est totum & pars. Si igitur in Deo sit numerus personarum, erit in Deo ponere totum & partem. Quod simplicitati diuinae repugnat.

Sed contra est, quod dicit Athanasius, Alia est persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti. Ergo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sunt plures persona.

Respondeo. Dicendum, quod plures esse personas in diuinis, sequitur ex præmissis. Ostensum est enim supra, quod hoc nomen persona, significat in diuinis relationem, vt rem subsistentem in natura diuina. Supra autem habitum est, quod sunt plures relationes reales in diuinis. Vnde sequitur, quod sint plures res subsistentes in diuina natura. Et hoc est esse plures personas in diuinis.

Ad Primum ergo dicendum, quod si substantia non ponitur in distinctione persona, secundum quod significat essentiam: sed secundum quod significat suppositum. Quod patet ex hoc, quod additur indiuidua. Ad significandum autem substantiam sic dictam, habent Greci nomen hypostasis. Vnde sicut nos dicimus tres personas, ita ipsi dicunt tres hypostases. Nos autem non consueuimus dicere tres substantias, ne intelligerentur tres essentia, propter nominis æquiuocationem.

Ad Secundum dicendum, quod proprietates absolute in diuinis (vt bonitas, & sapientia) non opponuntur adinuicem, vnde neque realiter distinguuntur. Quamuis ergo eis comeniat subsistere, non tamen sunt plures res subsistentes, quod est esse plures personas: proprietates autem absolute in rebus creatis non subsistunt, licet realiter abinuicem distinguantur, vt albedo, & dulcedo. Sed proprietates relatione in Deo, & subsistunt, & realiter abinuicem distinguuntur vt supra dictum est. Vnde pluralitas talium proprietatum, sufficit ad pluralitatem personarum in diuinis.

Ad Tertium dicendum, quod à Deo propter summam vnitatem, & simplicitatem excluditur omnis pluralitas absolute dictorum, non autem pluralitas relationum, quæ relationes predicantur de aliquo vt ad alterum. Et sic compositionem in ipso, de quo dicuntur, non importat, vt Boet. * in eodem libro docet.

Ad Quartum dicendum, quod numerus est duplex.

plex scilicet numerus simplex, vel absolutus, ut duo, & tria, & quatuor. Et est numerus, qui est in rebus numeratis, ut duo homines & duo equi. Si igitur in diuinis accipitur numerus absolute, sine abstracte, nihil prohibet in eo esse totum, & d. partem: & sic non est nisi in acceptione intellectus nostri: non enim numerus absolutus à rebus numeratis est, nisi in intellectu. Si autem accipiamus numerum prout est in rebus numeratis, sic in rebus quidem creatis, vnum est pars duorum, & duo trium, ut vnum homo duorum, & duo trium: & sic non est in Deo, quia tantus est pater, quanta tota Trinitas, ut infra patebit. [¶]

Quest. 42.
art. 3. & 4.

Sensus quaesiti.

QVAERITUR hic realis pluralitas diuinarum personarum, ut patet ex probatione conclusionis.

Forma Textus.

CONCL. est. Plures persone sunt in diuinis Probatur: Hoc nomen persona significat in diuinis relationem, vt rem subsistentem in natura diuina; at in diuinis sunt plures relationes reales. Ergo sunt plures res subsistentes in natura diuina; quod est esse plures personas in diuinis. Maior probatur ex dictis in articulo quarto quaestionis praecedentis. Minor vero ex dictis in q. vigesima octaua.

Expositio Textus.

DIFFICULTAS, quæ ex hoc discursu de numero diuinarum personarum determinato posset oriri, tractabitur cum Cai. & alijs in art. seq.

De concl. praesentis a. quæ est præcipuum Christianæ fidei dogma, disputat ex recentioribus latissime aduersus hereticos Card. Bellarm. lib. 2. de Christo, tomo 1. Val. super hoc art. & Suarez. lib. 1. de Trinitate c. 2. ad quos lectorem remittimus.

Quædam tamen solutiones Valentia, ad argumenta ab eo proposita, veritati minus consona & debita carere videtur soliditate, quæ summam placuit hic recensere, & quid ego sentiam aperire.

Primum argumentum
Valent.

Est igitur primum argumentum illius. Si sunt plures persone diuinæ: consequens erit nullam earum esse simpliciter infinitam: at hoc absurdum est: si quidem persona, quæ infinita non est, non est verè diuina; igitur non sunt plures persone diuinæ. Probatur sequela assumptæ propositionis; quia tunc carebit vnaquæque persona re illa, atque perfectione alterius, per quam ab ea distinguitur, id est proprietate personali seu respectiva alterius. Resp. negando sequelam primæ propositionis. Ad probationem distinguitur dicēs vnam personam alterius perfectione carere dupliciter intelligi posse: Vno modo de perfectione præcisè illis cōueniente, quatenus opponitur & distinguuntur ab inuicem: & sic conceditur. Alio modo de perfectione simpliciter, ita vt vna persona nullo modo habeat perfectionem alterius; & sic negandum est. Nam quamvis vna persona, vt ab alia distinguitur, non habeat perfectionem alterius; habet tamen vt est vnum in essentia cum illa: & hoc satis est vt simpliciter sit infinita; Nam infinitas personæ non solum ex perfectione proprietatis personalis, sed maxime etiam ex ratione essentia (vt ita dicam) confla-

Solutio Valentia.

tur; cum essentia sit de ratione personæ, & idem cum illa. Vnde (inquit) satis intelligitur vnāquamque personam diuinam esse infinitam hoc ipso, quod in essentia obtinet, quicquid est perfectionis in alijs personis.

Sed hæc responsio dupliciter deficit. Primò: quia concedit realem perfectionum pluralitatem in diuinis iuxta numerum personarum, quod supra validis argumentis impugnauimus. Secundo, quia dicit pugnantia; Nam si personis conueniunt perfectiones, quatenus distinguuntur ab inuicem; ex identitate, quam habent in essentia, non efficitur vt quod vni proprium est, prout ab altera distinguitur, sic etiam alterius; sicut ex eadem essentia vnitate vna persona non est altera. Implicat igitur dicere personis conuenire perfectiones, quatenus ab inuicem distinguuntur, & vnāquamque personam in essentia obtinere quicquid est perfectionis in alijs personis.

Optima solutio est illa, quam affert S. Th. ad si. mile argumentum infra q. 42. a. 4. ad 2.

Secundum eiusdem argumentum est. Vel pluralitas personarum est necessaria in ente infinito vel non; si non; ergo non est vlio modo ponenda in Deo; totus enim Deus, secundum omne quod est, est ens necessarium: Si autem necessaria est; ergo etiam in vna qualibet persona diuina, vt persona est, debet esse pluralitas personarum, quod absurdum est. Patet consequentia.

Nam persona etiam est ens infinitum. Resp. necessariam esse pluralitatem personarum in ente infinito. Ad argumentum admittit consequentiam si sermo sit de persona diuina secundum totā suam realitatem, ex qua constat ipsius infinitas; sic enim vt in essentia diuina est pluralitas personarum, consequenter etiam est in persona diuina, cuius res, atque infinitas constat etiam ex diuina essentia. Sicut enim verè dixit Christus: Ego in Patre, & Pater in me est ratione essentia; ita etiam verissime dixisset, Ego & Pater vnum sumus in Spiritu S. & similiter Spiritus S. & Pater sunt in me. Quod perinde est ac dicere in vnaquaq; diuina persona esse plures personas diuinas seu pluralitatem diuinarum personarum. Addit præterea in vnaquaque persona diuina, vt secundum rationem suæ vnitatis completam & adequatam in re ipsa est vna, esse pluralitatem personarum, quatenus essentia illius est plures persone. Sed tamen non ita in persona diuina, vt vna scilicet personaliter, sunt plures persone: quasi ipsa vt est vna, sit persone illæ plures: tunc enim non esset vna, neque hoc necesse est ad eius infinitatem, sed satis est, vt verè plures persone sint in ipsa.

Sed hoc responsio non soluitur argumentum, quo probatur necessariam esse personarum pluralitatem in qualibet persona vt persona; eo modo, quo necessaria est in ente infinito; cum igitur sit necessaria personarum pluralitas in ente infinito, tanquam existens de ratione illius intrinseca: consequens etiam videtur vt sit necessaria in qualibet persona. Ex hoc autem, quod vna persona est in alio modo dicto, non efficitur, vt vna sit de ratione alterius intrinseca.

Dicendum est igitur ad argumentum nullam esse consequentiam. Ad probationem dico falsam etiam esse consequentiam; est enim in argumento fallacia figura dictionis; nam proceditur ab identica ad formalem. Hæc enim est identica, persona diuina est ens infinitum loquendo de persona diuina ratione sui proprii constitutui & distinctui; ideo namq; persona diuina sic accepta est

Constat.

Secundum argumentum
Valentia.

Sol. Valentia.

Constat.

Vera solutio.

est ens infinitum; quia est realiter diuina essen-
tia, quæ est ens infinitum. Vnde non sequitur: si
necessaria est pluralitas personarum in ente infi-
nito; Ergo necessaria est etiam in qualibet per-
sona; nam in consequenti fit sensus formalis: su-
mitur enim persona, prout distinguitur forma-
liter ab essentia. Recolenda sunt, quæ diximus
supra q. 28. a. 2. nimirum personas diuinas clau-
di in quidditate diuinæ essentia, non ea ratione
qua communicabilis est, sed qua constituibilis
est in esse personali incommunicabili. Dico igitur
personam esse ens infinitum, quod est essen-
tia secundum rem, sed ab eo differt virtualiter;
in hoc verò præcipue posita est differentia; quod
illud ens infinitum claudit tres personas, quas
nulla personarum includit. Illud enim ex pro-
pria ratione vnum numero existens est tribus
suppositis communicabile, persona verò ex sui
ratione est incommunicabilis; & ideo commu-
nicata essentia, non comunicatur pluralitas per-
sonarum; ac proinde nullo modo concedendum
est in persona Filij etiam ratione essentia, quæ
in eo est, esse pluralitatem personarum, eo mo-
do, quo eadem pluralitas est in essentia secundū
se; quoniam essentia non comunicatur Filio
quo ad propria personarum; nam etiam essentia
prout est in Filio vt sit, propria est Filij, vt ait
Cai. infra q. 41. a. 5.

Responsio ad primum argumentum D. Th. ex-
plicanda est per ea, quæ notauimus in precedenti
1. & 2.

Secundum
argumentum
D. Thom.

Secundum argumentum D. Th. est. In Deo
non est nisi pluralitas relationum: at pluralitas
relationum non facit pluralitatem personarum;
Ergo. Probatur minor. Pluralitas proprietatum
absolutarum non facit distinctionem persona-
rum, neque in nobis, neque in Deo. Ergo mul-
tudo minus pluralitas relationum. Responsio forma-
lis consistit in negatione minoris. Ad probatio-
nem negatur consequentia; & rationem affert S.
D. eo, quia ad pluralitatem personarum duo re-
quiruntur, nimirum, realis distinctio & subsi-
stentia, quæ duo simul non reperiuntur in pro-
prietatibus absolutis, nec prout sunt in Deo, nec
prout sunt in creaturis; nam vt sunt in Deo, so-
lam habent substantiam, non autem distinctio-
nem; in creaturis autem distinguuntur quidem,
sed minime subsistunt. At proprietates relatiuæ
in Deo vtraque conditione gaudet; nam & subsi-
stunt & realiter ab inuicem distinguuntur: &
ideo earum pluralitas sufficit ad personarū plu-
ralitatem in diuinis. Ad cuius responsionis in-
telligentiam nota quæ scribit hic Cai.

Circa resp. ad 3. lege, si placet, quæ notat Val.
in resp. ad 4. suum argum. & quæ docet Cai. supra
q. 3. a. ultimo in expositione tituli. Vide etiam D.
Th. in primo dist. 24. q. 1. a. 2. Inde enim perspi-
cua redditur hæc responsio.

Quartum ar-
gumentum
D. Thom.

Quartum argumentum D. Th. est. Si in Deo
est numerus personarum, erit in Deo ponere to-
tum & partem; at consequens repugnat diuinæ
simplicitati; ergo & antecedens. Probatur con-
sequentia quia vbicumque est numerus ibi est
totum & pars. Responsio est. Numerus est duplex;
Vnus simplex vel absolutus; vt duo & tria &
quatuor; Alius qui est in rebus numeratis; vt
duo homines vel duo equi; sumendo numerum
in diuinis priori modo, nihil prohibet in eo esse
totum & partem; sic autem ratio totius & par-
tis non est nisi in acceptione intellectus nostri.
Posteriori vero modo sumendo numerum in
diuinis non habet totum, & partem; quia tantus
est Pater, quanta est tota Trinitas. Sed ad-

Dubitatio

uersus resp. hanc, quamuis eam verissimam esse Vasquez
fateatur, argumentantur Vasquez & post eum Suarez.
Suar. lib. 1. de myst. Trinitatis cap. 10. Si numero
abstracto conuenit ratio partis & totius, & ma-
ius est totum quam pars: debent etiam hæc con-
uenire numero in quauis materia contracta, ac
proinde numero diuinarum personarum; quia
quæ conueniunt numero secundum se, conue-
niunt etiam tali numero, licet non è contra; quæ
enim dicuntur de communi & superiori, dicun-
tur etiam de inferiori & singulari.

Respondent ex Gabriele in primo dist. 24. q. 2. a. Solui Vas-
3. dubio 1. In Trinitate nihil reperiri maius aut
minus, perfectius aut imperfectius, totum &
partem secundum quantitatem quasi cōtinuam,
id est secundum quantitatem virtutis & perfe-
ctionis, vt affirmat hoc loco D. Thom. At se-
cundum quantitatem discretam id est secundū
pluralitatem concedimus (inquiunt) in Trinitate
maiorē & minorem numerum; hoc est plures
& pauciores vnitates; plures enim sunt Pater Fi-
lius & Spiritus Sanctus, quam Pater & Filius;
Nam vt aliquid sit maius alio quantitate discre-
ta, non debet esse perfectius, sed satis est si in v-
na multitudine dicantur esse plures vnitates,
quam in alia; nec quidquam contra hanc doctri-
nam docuit S. Doctor. Nam numerum abstra-
ctum intelligit rationem solam discretæ quan-
tatis & multitudinis, in quauis etiam materia;
& hoc pacto (inquit Vasquez) inuenitur totum
& pars in Trinitate; hoc est totus numerus &
partes illius, nempe singulæ vnitates; inuenitur
etiam maius & minus, perfectius & minus per-
fectum; quia maior numerus & perfectior nu-
merus est ternarius, quam binarius in ratione
multitudinis & discretæ quantitatis. Addit pos-
tremo Vasq. hæc nomina maius & minus non
esse Trinitati accommodanda sine additamento;
quia communi modo loquendi denotant maio-
rem & minorem perfectionem in quantitate cō-
tinua; & ideo sic dicendum esse in Deo est maior
& minor numerus: & idem asserendum esse de
toto & partibus, de perfectiori & minus perfe-
cto. Sed hæc in primis aduersantur expresse me-
ti D. Thom. qui perspicue distinguit numerum
simplicem siue absolutum, qui est in sola acce-
ptione intellectus, à numero qui est in rebus;
quomodo ergo potest Vasquez secundum mem-
brum cum primo confundere? Præter quam
quod distinctio illa de quantitate continua &
discreta, vel non est ad rem, vel primum mem-
brum cum secundo coincidit in materia Sanctissi-
mæ Trinitatis vt statim offendemus.

Sciendum est igitur ex D. Thom. infra a. 3. & Perazol.
supra q. 11. a. 2. in rebus immaterialibus esse mul-
titudinem, non de genere quantitatis sed tran-
scendentem, quæ se habet ad multa, de quibus
prædicatur, sicut vnum quod conuertitur cum
ente ad ens, quod non addit supra ens nisi ne-
gationem diuisionis tantum: & eadem ratione
inquit S. D. cum dicuntur res multe, multitu-
do sic accepta significat res illas cum in diuisione
circa vnāquamque earum. Vnde in dicta q.
11. notauimus, quod multitudo transcendens est
ens formaliter negatiuum: itaque numerus siue
multitudo aut pluralitas diuinarum personarū
significat earum entitates cum in diuisione circa
vnāquamque earum. Constat autem ex supra-
dictis in q. 28. entitates diuinarum personarum
idem esse realiter, ac formaliter à parte rei, cum
vna ac simplicissima entitate diuinæ essentia; &
consequenter vnā esse cum ea perfectionem at-
que ideo non esse maiorem perfectionem trium
quam

quàm vnus; neque vnā aut duas esse partes totius Trinitatis verè ac propriè loquendo; nam totum rationem habet compositi, partes verò componentis, quod nefas est de Deo cogitare. Secundò. Pars suapte natura ordinatur ad constitutionem totius, ac proinde maximam dicit imperfectionem; quamvis igitur de rebus ipsis numeratis loquendo tres personæ plures sint, quàm duæ, non tamen perfectior est numerus earum ternarius quàm binarius: nec binarius pars est ternarij. Nam relationes diuinæ prout personæ distinguunt, perfectiones non sunt, sed abstrahunt à perfectione & imperfectione; nec rationem habent partis; quia vt modo diximus, ratio partis imperfectionem claudit. Sed quia prædicta scilicet ratio partis, maioris & minoris perfectionis conueniunt numero abstracto, vt patet ex Arist. in primo cali. tex. 2. de numero ternario, & D. Th. super Epist. ad Hebræos c. 7. lect. 1. de numero denario, & in rebus etiam creatis de numero concreto, contingit facile decipi, cum de numero personarum loquimur in diuinis: sed attendenda est maxima illa, quam indicauimus, diuinarum personarum differentia à qualibet rerum creatarum multitudine; ex hac enim vna radice soluitur prædictorum expostorum argumentum, & tota ruit noua eorum structura. His adde nouam hanc esse loquendi formam, quam haecenus nesciuit Ecclesia & antiquorum sapientia Patrum exhorruit.

Ad argumentum igitur Vasq. negatur sequela; diuersa est enim valde ratio numeri abstracti & numeri concreti; & rursus concretus rerum creatarum numerus non est cum numero diuinarum personarum comparandus; cum illa prædictas omnes admittat imperfectiones, hic verò nullā. Ad probationem dico primò falsum esse illud assumptum, quæ conueniunt numero secundum se, conueniunt numero tali, quando dicitur tale ex materia, cui applicatur: sicut spheræ absolute conueniunt tangere planum in puncto, non autem spheræ tali, puta æneæ aut ligneæ; quia repugnat ex materia in qua dicitur talis. Secundo dico supponi falsum, nimirum numerum diuinarum personarum acceptum pro rebus ipsis numeratis comparari ad numerum absolutum, vt inferius ad superius. Nam nullum ens reale comparatur vt inferius ad ens rationis, id est sola ratione existens. Iam autem diximus numerum abstractum esse tantum in intellectu: numerus autem rerum sunt res ipsæ numerate.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Vtrum in Deo sint plures personæ quàm tres.

AD Secundum sic proceditur. Videtur, quod in Deo sint plures personæ quàm tres. Pluralitas enim personarum in diuinis est secundum pluralitatem proprietatum relationalium, vt dictum est. Sed quatuor sunt relationes in diuinis (vt supra dictum est) scilicet paternitas, filiatio, communis spiritus, & processio. Ergo quatuor personæ sunt in diuinis.
 2 Præterea. Non plus differt natura à voluntate in Deo, quàm natura ab intellectu: sed in diuinis est alia persona, quæ procedit per modum voluntatis, vt amor: & alia, quæ procedit per modum naturæ, vt filius. Ergo est etiam alia, quæ procedit per modum intellectus, vt verbum: & alia, quæ procedit per modum naturæ, vt filius. Et sic iterū sequitur quod Naz. in 1. part. D. Tho. tom. 2.

A non sunt tantum tres personæ in diuinis.

3 Præterea. In rebus creatis quod excellentius est, plures habet operationes intrinsecas: sicut homo supra alia animalia habet intelligere & velle: sed Deus in infinitum excedit omnem creaturam. Ergo non solum est ibi persona procedens per modum voluntatis & per modum intellectus, sed infinitis alijs modis. Ergo sunt infinitæ personæ in diuinis.

4 Præterea. Ex infinita bonitate patris est, quod infinitè seipsum communicet producendo personam diuinam: sed etiam in Spiritu sancto est infinita bonitas. Ergo Spiritus sanctus producit diuinam personam, & illa aliam, & sic in infinitum.

B **5** Præterea. Omne quod continetur sub determinato numero, est mensuratum. numerus enim mensura quadam est. Sed personæ diuinæ sunt immensæ, vt patet per Athanas. * Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Non ergo sub numero ternario continentur.

Sed contra est, quod dicitur. 1. Ioan. vlt. Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Quarentibus autem quid tres & respondetur, tres personæ. vt August. dicit * de Trinit. 7. Sunt igitur tres personæ tantum in diuinis.

C Respondeo. Dicendum, quod secundum præmissa + necesse est ponere tantum tres personas in diuinis. Otensum * est enim, quod plures personæ sunt plures relationes subsistentes ab inuicem realiter distinctæ. Realis autem distinctio inter relationes diuinas, non est nisi in ratione oppositionis relative. Ergo oportet duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Si quæ autem relationes oppositæ non sunt, ad eandem personam necesse est eas pertinere. Paternitas ergo & filiatio (cum sint oppositæ relationes) ad duas personas ex necessitate pertinent. Paternitas igitur subsistens est persona Patris, & filiatio subsistens est persona filij. Alia autem duæ relationes ad neutram harum oppositionem habent: sed sibi inuicem opponuntur. Impossibile est igitur quod ambæ vni personæ conueniant. Oportet ergo quod vel vna earum conueniat vtrique dictarum personarum: aut quod vna vni, & alia alij non autem potest esse, quod processio conueniat Patri, & Filio, vel alteri eorum: quia sic sequeretur, quod processio intellectus, quæ est generatio in diuinis, secundum quam accipitur paternitas, & filiatio, prodiret ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio, & processio, si persona generans & genita procederent a spirante. Quod est contra præmissa. * Relinquitur ergo, quod spiratio conueniat & personæ Patris, & personæ Filij, vt pote nullam habens oppositionem relationum, nec ad paternitatem, nec ad filiationem. Et per consequens oportet, quod conueniat processio alteri personæ, quæ dicitur persona Spiritus sancti, quæ per modum amoris procedit, vt supra habitum est. * Relinquitur ergo, tantum tres personas esse in diuinis. scilicet Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum.
 E Ad Primum ergo dicendum, quod licet sint quatuor relationes in diuinis: tamen vna earum scilicet spiratio, non separatur à personæ Patris, & Filij: sed conuenit vtrique. Et sic licet sit relatio, non tamen dicitur proprietas, quia non conuenit vni tantum personæ) neque relatio personalis id est constituens personam. Sed habet tres relationes, paternitas, filiatio, & processio, dicuntur proprietates personales, quasi personas constituentes. nam paternitas est persona Patris, filiatio persona Filij, processio, persona Spiritus sancti procedentis.

Ad Secundum dicendum, quod id quod procedit

In suo sym-bolo fidei.

Ca 4. c. se- quen 10. 3.

Ar. præc. 29. Ar. præc.

2. 27. ar. 3. 219.

Loco nunc citato.

183.

174. Infra q. 31. ar. 1. & qu. 41. ar. 9. & 10. ar. 1. di. 10. ar. 5. & 4. c. 6. cap. 12. vel 13. c. 25. vel 26. c. 1. pot. 9. ar. 1. di. 10. ar. 9. & 10. c. 6. c. 1. Ar. præc.

dit per modum i. effectus, ut verbum, procedit secundum rationem similitudinis, sicut etiam id quod procedit per modum naturae: Et ideo supra dictum est, quod processio verbi diuini est ipsa generatio per modum naturae. Amor autem, inquantum huiusmodi non procedit, ut similitudo illius à quo procedit: licet in diuinis amor sit coessentialis, inquantum est diuinus. Et ideo processio amoris non dicitur generatio in diuinis.

Ad Tertium dicendum, quod homo (cum sit perfectior alijs animalibus) habet plures operationes intrinsecas, quam alia animalia, quia eius perfectio est per modum compositionis. Vnde in Angelis, qui sunt perfectiores & simpliciores, sunt pauciores operationes intrinsecae quam in homine, & quia in eis non est imaginari, sentire, & huiusmodi: sed in Deo secundum rem non est nisi una operatio quae est sub essentia. Sed quomodo sunt duae processiones, supra ostensum est.*

Ad Quartum dicendum, quod ratio illa procederet, si Spiritus sanctus haberet aliam numero bonitatem à bonitate patris: oportere enim quod sicut Pater per suam bonitatem producit personam diuinam, ita & Spiritus sanctus. Sed una & eadem bonitas Patris, & Spiritus sancti. Neque etiam est distinctio nisi per relationes personarum. Vnde bonitas conuenit Spiritui sancto, quasi habita ab alio: Patri autem sicut à quo communicatur alteri. Oppositio autem relationis non permittit, ut cum relatione Spiritus sancti sit relatio principij respectu diuinae personae, quia ipse procedit ab alijs personis, quae in diuinis esse possunt.

Ad Quintum dicendum, quod numerus determinatus (si accipitur numerus simplex, qui est tantum in acceptione intellectus) per vnum mensuratur. Si verò accipitur numerus rerum in diuinis personis, sic non competit ibi ratio mensurati, quia eadem est magnitudo trium personarum, ut infra patebit.* Idem autem non mensuratur per idem.

Sensus quaesiti.

TITULVM explicat optimè Caiet. quem sequitur Syluest.

Forma Textus.

CONCL. Necesse est ponere tantum tres personas in diuinis. Probat. Ex quatuor relationibus quae sunt in Deo, tres tantum sunt quae ad distinctas personas pertinent scilicet paternitas, filiatio & processio: vna verò scilicet spiratio duabus conuenit personis scilicet Patri & Filio; ergo sunt tantum tres personae. Antecedens probatur primò quoad duas priores relationes, quae sunt paternitas & filiatio. Necesse est duas relationes oppositas ad duas personas pertinere: si quae autem relationes oppositae non sunt, ad eandem personam necesse est pertinere; sed paternitas & filiatio sunt oppositae; ergo ad duas personas ex necessitate pertinet ut earum constitutivae; & sic paternitas subsistens est persona Patris, & filiatio subsistens est persona filij. Antecedens probatur. Plures personae sunt plures relationes subsistentes ab invicem realiter distinctae; at realis distinctio inter relationes diuinas non est nisi ratione oppositionis relatiuae; Ergo necesse est duas relationes oppositas ad duas personas pertinere. Deinde probatur principale antecede-

dens quo ad duas alias relationes, quae sunt spiratio & processio, praesuppositis iam assumptis. Oportet ut ex his duabus relationibus vel una earum conueniat vtrique dictarum personarum scilicet Patri & Filio, aut una vni & alia alij; at non potest esse, quod processio conueniat Patri & Filio, vel alteri eorum: Ergo spiratio conuenit & personae Patris & personae filij: & per consequens processio conuenit alteri personae, quae dicitur persona Spiritus sancti, quae per modum amoris procedit. Prima propositio probatur. Haec duae relationes spiratio & processio ad neutram ex prioribus habent oppositionem, sed sibi inuicem opponuntur; igitur impossibile est, ut ambae vni personae conueniant; ergo oportet, ut vel una earum conueniat vtrique &c. Secunda propositio probatur; quia sequeretur, quod processio intellectus quae est generatio in diuinis, secundum quam accipitur paternitas & filiatio, prodiret ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio & processio, si persona generans & genita procederent à spirante. Consequentia verò probatur; quia spiratio nullam habet oppositionem relatiuam, nec ad paternitatem nec ad filiationem.

Expositio Textus.

Hic articulus cum praecedenti secum trahit vniuersas difficultates, hucusque aduersus sacrosanctum Trinitatis mysterium ab infidelibus, gentilibus, Hebraeis aut Haereticis excitatas, de quibus legendi sunt auctores allegati in art. praeced.

Secundo obseruandum est ex D. Thom. de potentia quaest. 9. artic. 9. secundum opinionem Arrij & Sabellij nullo modo posse in diuinis affirmari certum numerum personarum. In hoc enim Arrius constituit personarum Trinitatem, quod Filius & Spiritus Sanctus essent quaedam nobilissima creaturae à Deo Patre procedentes. Creaturarum autem à Deo processio non de necessitate certo numero terminatur; cum diuina virtus sua infinitate modum omnem, speciem ac numerum creaturae superexcedat. Eadem igitur infinita virtute & omnipotentia qua creauit Deus duas excellentissimas creaturas, quas Arrius affirmat esse Filium & Spiritum Sanctum potuit alias eis aequales vel etiam maiores usque in infinitum producere. Sabellius autem dixit Patrem & Filium & Spiritum Sanctum distinguere solo nomine & ratione; constat autem nominis & rationis distinctiones in infinitum posse multiplicari: cum intellectus noster possit diuersos de Deo ex creaturis factis & factibilibus formare conceptus, & imponere nomina usque in infinitum. Igitur secundum hanc haeresim non erit certus in Deo numerus personarum.

CON-

CONTRORSIA VNICA.

De efficacia discursus D. Thoma.

Dub. 1.

MOVET hic duas difficultates Caietanus. PRIOR est circa discursum D. Th. qui ex duplici capite videtur deficiens. Primum est; quia in probatione secundæ partis antecedentis proponit hanc disiunctivam: Spiratio & processio vel ita se habent, ut una earum conveniat Patri & Filio: vel una Patri & alia Filio; & tamen non examinatur secundam partem disiunctivam, ex cuius discussione pendet propositi quæsi resolutio quo ad eam partem, qua queritur an personæ diuinæ sint pauciores quam tres. Nam si una convenit Patri & alia Filio: iam non erunt tres sed duæ tantum in Deo personæ. Secundum est; quia S. D. in eadem probatione subsumit hanc propositionem negatiivam. Processio non convenit Patri & Filio vel alteri eorum; quæ ut patet, duas habet partes, ex quibus sola prima probatur in textu. Cui dubitationi respondens Caiet. duo dicit. Primum est, debuisse D. Th. omnia membra distinctè examinanda proponere, ut perfectus appareret discursus, tam in distinctione membrorum, quam in singulorum examine, partim explicito & partim implicito. Secundum est, D. Th. propositis dictis duabus propositionibus examinasse primam partem, tam primam quam secundam. Ex quo sequitur etiam manifesta resolutio reliquarum duarum partiũ. Nam prima pars prioris propositionis erat spiratio & processio vel ita se habent, ut una earum conveniat Patri & Filio: Prima verò pars posterioris erat: processio non convenit Patri & Filio: & inchoando ab hac probavit processionem non convenire Patri & Filio, ex quo deduxit spirationem utrique convenire scilicet Patri & Filio. Ex quo manifestè patet non fuisse necessarium reliqua dictarum duarum propositionum membra discutere: Nam probauerat D. S. spirationem, & processionem ad eandem non posse pertinere personam; quoniam opponuntur relatione: Si itaque spiratio convenit Patri & Filio, ut efficaciter probat discursus; quia scilicet processio amoris est ex processione verbi, sequitur manifestè processionem nec utrique nec alteri posse convenire; nec posse unam scilicet spirationem uni, & processionem alteri convenire. Hanc solutionem sequuntur Sylu. Iauel. Vafq. & Suar. quamvis existiment Sylu. & Suar. se aliter soluere.

Impugn. Caiet.

Sed arguit Zumel. Iuxta hanc expositionem fundatur discursus super hac consequentia; Processio non convenit utrique personæ; Ergo spiratio convenit utrique: Quæ consequentia non est bona nec formalis, ut patet in hac alia simili consequentia: Paternitas non convenit utrique personæ; ergo filiatio convenit utrique; est enim falsa. Quod si dicas (inquit) antecedens huc habere sensum, processio non convenit utrique, nec simul nec disiunctivè. Contra hoc argumentatur; quia secundum Cai. illud antecedens non fuerat probatum in illo sensu, sed potius erat ostendendum. Ait igitur prædictus expositor D. Th. assumpsisse dictum antecedens in hoc sensu, videlicet processionem non esse in utraque persona, neque in altera illarum; quod probat ex illis verbis D. Th. quia alias sequeretur, quod processio intellectus procederet ex processione voluntatis; quorũ hic est sensus. Sequeretur quod

A persona producens vel producta per intellectum, procederet per voluntatem, quod est inconueniens; & ita inquit constat totus discursus D. Th. qui supponit in Deo esse duas processiones, quarum una ducit originem ab altera; & quod ex utraque sequitur duæ relationes: & quod distinctio rerũ in Deo nõ est nisi per oppositionem relationum principij & principiati, formalem vel radicalem. Sed ex hoc eodem fundamento defenditur responsio Caietani. Nam suppositio ordine originis inter duas processiones passivè sumptas, siue emanationes cum alijs prædictis; sequitur necessariò, quod si processio intellectus quæ est generatio in diuinis, secundum quam accipitur paternitas & filiatio in diuinis, non oritur ex processione amoris, secundum quam accipitur spiratio & processio; è contra processio amoris sit ex processione intellectus. Ex qua ulterius sequitur relationem actiivæ spirationis convenire Patri & Filio, quia hæ duæ personæ attenduntur in diuinis secundum processionem intellectus. Nam Filius procedit ut verbum à Patre dicente, & actiiva spiratio ad nullam earum habet oppositionem. Itaque deducitur consequens nõ ex antecedente præcisè sed adiuncta negatione oppositionis. Et quamvis ex hoc principio sequatur primò & expressè sola prima pars dictæ secundæ propositionis; sequitur tamen ex eodè implicitè & consequenter etiam secunda pars; & hoc est quod probat Zumel. Et ex his tollitur etiam difficultas, quam ad mentem Cai. proponit & soluit Vafq.

Confut.

Hic adverte Val. in formando discursu D. Th. ubi loquitur de processione & spiratione affirmare duas has relationes non distingui à paternitate & filiatione, eo quod illis non opponantur; quod arbitror ex incogitantia dictum fuisse: Nam alioquin error est in fide dicere processionem spirationi oppositam non distingui realiter à paternitate & filiatione. Nec D. Tho. in littera tale aliquid significavit; difficultas enim quæ tangitur ex negatione oppositionis prædictæ relationis ad paternitatem, & filiationem, sequitur à Cai. in secunda dubitatione; quem sequitur etiam Val. paulò latius exponens doctrinam Caiet.

Lapsus Valens.

ALIAM dubitationem proponit Cai. de causa distinctionis in diuinis ex verbis D. Tho. quæ manifestè videntur pugnantes; quæ optimè soluit: & eius solutionem sequuntur interpretes, ac præsertim Val.

Dub. 2.

In responsionibus argumentorum observa, quæ notat Caiet. ad secundum, & Porreëtinus ad quartum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Vtram termini numerales ponant aliquid in diuinis.

AD Tertium sic proceditur. Videtur, quod terminis numerales ponant aliquid in diuinis. Vnitatis enim diuina est eius essentia: sed omnis numerus est unitas repetita. ergo omnis terminus numeralis in diuinis significat essentiam. ergo ponit aliquid in Deo. 175. 1. d. 24. q. 1. art. 3. q. 9. a. 7. q. 1. a. 1.

2. Prætereā. Quicquid dicitur de Deo, & creaturis, eminentius conuenit Deo quam creaturis. Sed termini numerales in creaturis aliquid ponunt. Ergo multo magis in Deo.

3. Prætereā. Si termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, sed inducuntur ad remouendum tantum, ut per pluralitatem remouetur unitas, & per unitatem pluralitas, sequitur, quod sit circulatio

K 2

latio

latio in ratione, confundens intellectum, & nihil certificant, quod est inconueniens. Relinquitur ergo, quod termini numerales aliquid ponunt in diuinis.

Lib. 4. do Sed contra est, quod Hilari. dicit in 4. de tri. * Sa-
trinit. ante stulit singularitatis, ac solitudinis intelligentiam, pro-
medium. fessio consortij. quod est professio pluralitatis. Et Ambr.
amb. lib. 1. dicit in lib. de fide. Cum vnam Deum dicimus, vnitatem
de fide c. 2. pluralitatem excludit. Deorum, non quantitatem in
ante medi. Deo ponimus. Ex quibus videtur, quod huiusmodi nomina
to. 2. sunt inducta in diuinis ad remouendum, non ad ponendum aliquid.

Respondeo. Dicendum, quod Magister in sententijs ponit, quod termini numerales non ponunt aliquid in diuinis, sed remouent tantum. Alij vero dicunt contrarium.

250. Ad euentiam igitur huius considerandum est, quod omnis pluralitas consequitur aliquam diuisionem: est autem duplex diuisio. * Vna materialis, que fit secundum diuisionem continui, & hanc consequitur numerus, qui est species quantitatis. Vnde talis numerus non est, nisi in rebus materialibus habentibus quantitatem. Alia est diuisio formalis, que fit per oppositas, vel diuersas formas. Et hanc diuisionem sequitur multitudo, que non est in aliquo genere, sed est de transcendētibz, secundum quod ens diuiditur per vnum & multa. Et talis multitudinem solum contingit esse in rebus immaterialibus. Quidam igitur non considerantes nisi multitudinem solum, que est species quantitatis discreta (quia videbant quod quantitas discreta non habet locum in diuinis) posuerunt, quod termini numerales non ponunt aliquid in Deo, sed remouent tantum. Alij vero eandem multitudinem considerantes dixerunt, quod sicut scientia ponitur in Deo secundum rationem propriam scientie, non autem secundum rationem sui generis (quia in Deo nulla est qualitas) ita numerus in Deo ponitur secundum propriam rationem numeri, non autem secundum rationem sui generis, quod est quantitas. Nos autem dicimus, quod termini numerales, secundum quod veniunt in predicationem diuinam, non sumuntur à numero, qui est species quantitatis, quia sic de Deo non dicerentur nisi metaphorice, sicut & alia proprietates corporaliū, sicut latitudo, longitudo, & similia. Sed sumuntur à multitudine, secundum quod est transcendens. Multitudo autem sic accepta hoc modo se habet ad multa de quibus predicant, sicut vnum quod conuertitur cum ente ad ens. Huiusmodi autem vni (sicut sup. dictum est) cum de Dei vnitatem ageretur non addit aliquid supra ens, nisi negationem diuisionis tantum. Vnum enim significat ens indiuisum. Et ideo de quocunque dicatur vnum, significatur illa res indiuisa, sicut vni dictum de homine significat naturam, vel substantiam hominis non diuisam. Et eadem ratione cum dicuntur res multe, multitudo sic accepta significat res illas cum indiuisione circa vnamquamque earum. Numerus autem qui est species quantitatis, ponit quoddam accidens additum supra ens: & similiter vnum quod est principium numeri. Termini ergo numerales significant in diuinis illa, de quibus dicuntur, & super hoc nihil addunt nisi negationem, vt dictum est, & quantum ad hoc. veritatem dixit Magister in sententijs. Vt cum dicimus, essentia est vna, vnum significat essentiam indiuisam. cum dicimus, persona est vna, significat personam indiuisam: cum dicimus, persone sunt plures, significantur illa persone, & indiuisio circa vnamquamque earum quia de ratione multitudinis est, quod ex vnitatibus consistet.

Ad Primum ergo dicendum, quod vnum cum

fit de transcendentibus, est communius quam substantia, & quam relatio: & similiter multitudo. Vnde potest stare in diuinis & pro substantia, & pro relatione secundum quod competat his quibus adiungitur. Et tamen per huiusmodi nomina supra essentiam, vel relationem, additur ex eorum significatione propria, negatio quidam diuisionis, vt dictum est.

In cor. ars.
& loco ibi
citato.

Ad Secundum dicendum, quod multitudo que ponit aliquid in rebus creatis, est species quantitatis, que non transmittitur in diuinam predicationem, sed tantum multitudo transcendens, que non addit supra ea de quibus dicitur, nisi indiuisiōem circa singula. Et talis multitudo dicitur de Deo.

B Ad Tertium dicendum, quod vnum non est remotionum multitudinis, sed diuisionis, que est prior secundum rationem, quam vnum vel multitudo. Multitudo autem non remouet vnitatem: sed remouet diuisionem circa vnumquodque eorum, ex quibus constat multitudo. Et hec supra exposita sunt, * cum de diuina vnitatem ageretur. Sciendum tamen est, quod auctoritates in oppositum inducta, non probant sufficienter propositum. licet enim pluralitate excludatur solitudo, & vnitatem Deorum pluralitas, non tamen sequitur, quod his nominibus hoc solum significetur. Albedine enim excluditur nigredo, non tamen nomine albedinis significatur sola nigredinis exclusio.

Sensus quesiti.

PRO sensu quesiti legendus est Cai. quem ad verbum sequitur Mol. & cauenda est expositio Syluest. dicentis ea dictione aliquid significari ens absolutum positium, abstrahendo à reali & rationis: Nam relatio (inquit) non est res, prout res est quid ratum & firmum. Hæc enim expositio manifestè aduersatur litteræ expresse querenti de terminis numeralibus in materia relationum; factum est autem dubitare, an termini numerales addant absolutum super relationes, cum dico duæ aut tres relationes, aut duæ vel tres paternitates, &c. Si enim addunt absolutum: iam relationes erunt formaliter quedam absoluta; quia non distinguerentur aut numerarentur siue multiplicarentur nisi per absoluta, per terminos numerales significata. Significat igitur illa dictio aliquid entitatem positium, quæcumque sit illa, siue relatiua siue absoluta. Aduerte præterea terminos numerales dupliciter sumi posse: vno modo determinatè, vt duo, tria &c. alio modo indeterminatè, vt multa, plura &c. & utroque modo de terminis numeralibus queritur in titulo, & disputatur in corpore.

Forma Textus.

REFERUNTUR primò duæ contrariæ sententiæ. Prior est Magistri in 1. sent. dist. 24. dicentis terminos numerales nihil ponere in diuinis, sed tantum remouere: Posterior est aliorum affirmantium terminos numerales aliquid ponere in diuinis. Secundò proposita

posita distinctione diuisionis & pluralitatis, radicem aperit vtriusque sententiae, siue magis erroris. Postremo respondet quaestio vnica

CONCLVSIO. *Termini numerales significant in diuina illa, de quibus dicuntur: & super hoc nihil addunt nisi negationem; & ex conclusione sic proposita & probata trahit ad bonum sensum dictum Magistri. Legendus est Cai. qui totum huius articuli discursum ad facilem & planam formam reduxit.*

Expositio Textus.

SENTENTIA Magistri late explicatur ab ipso in primo dist. 24. quam etiam confirmat auctoritatibus Ambrosij, & Hylarij relatis in argumento ad oppositum in sensu, quem hic Magistro tribuit S. D. Lege praeterea quae notat Caiet.

Dubitatio.

DENIQUE contra conclusionem S. Tho. est argumentum. Numerus ternarius diuinarum personarum sunt diuinae personae Pater, Filius & Spiritus S. quatenus distinctae sunt abinuicem realiter relatiue; at distinctio dicit aliquid reale posituum; Ergo numerus ternarius diuinarum personarum addit formaliter aliquid posituum supra personas ipsas numeratas. Resp. primo minorem esse veram materialiter, non autem formaliter. Nam rem hanc ab illa distingui, nihil aliud est formaliter, quam rem hanc non esse illam; quamuis haec negatio consequatur proprias huius & illius rei entitates, quibus haec & illa in suo esse simpliciter, aut tali constituitur; quod idem dicendum est de diuisione reali vnius entis ab alio, vt hic significat S. Th. & notat Cai.

Solutio.

CONTROVERSIA VNICA.

De veritate conclusionis D. Thoma.

Sententia Expositorum

VASQUEZ disp. 129. affirmat primo probabiliorem sibi videri eorum opinionem, qui docent nomina multitudinis significare ratione aliquam formalem posituiam, supra singulas vnitates, quae nomine diuisionis explicari solet: quam diuisionem (ait) idem esse formaliter quod multitudine; siue sermo sit de multitudine rerum quantarum, siue de multitudine rerum quantitate carentium. Addit secundo se vehementer suspicari vtrumque numerum sub ratione numeri esse aliquid per rationem, & intellectum; quia praeter realem diuisionem numerus sub ratione numeri constat ratione prioris & posterioris, qui solum est per nostrum intellectum. Caterum (inquit) ratio multitudinis realis est posituiua, distincta saltem operatione intellectus ab vnitatibus; ea vero est ratio diuisionis, cui opponitur vnitatis. Tertio dicit esse quidem ordinem prioris & posterioris in personis diuinis secundum rem; hunc tamen non esse ordinem numeri; cum ita possit initium numeri sumi a Spiritu sancto, sicut ab vnaquaque persona. Postremo ait perperam allegari Amb. a Magistro, ad probandum nomina numeri negatiue tantum de Deo dici; & affert Ambrosij verba ante medium capituli sic dicentis. *Diuersitas (scilicet personarum) plures facit, vnitatis potestatis excludit numeri quantitatem; quia vnitatis numerus non est, sed hac omni est principium;* quibus verbis significat per vnitatem essentiae excludi numerum personarum, non autem numerum negatiue dici. Eandem sententiam quo ad secundum dictum sequitur Suarez. disp. Metaph. 41. sect. 1. & 4. & Fonseca in 5. Meth. c. 13. q. 4.

MULTA supra diximus q. 17. de ratione formalis vnitatis & multitudinis, & de eorum oppositione; ex quibus facile erit de noui huius interpretis opinione iudicare, & eius argumenta diluere. Praedictis tamen hic pauca quaedam addemus ad praedicti expositoris sententiae confutationem satis opportuna.

Notandum est igitur primo ex D. Th. de pot. q. 9. a. 7. multitudinem transcendentem addere supra res quae dicuntur multae duplicem negationem, vt hic etiam aduertit Cai. vnam quae est indiuisio; & alteram quae est diuisio; sic enim ait. *Patet ergo, quod vnum conuersum cum ente ponit quidem ipsum ens, sed nihil super addit nisi negationem diuisionis. Multitudo autem ei correspondens addit supra res, quae dicuntur multae, quod vnaquaeque earum sit vna, & quod vna earum non sit altera, in quo consistit ratio distinctionis: & sic, cum vnum addat supra ens vnam negationem, secundum quod aliquid est indiuisum in se: multitudo addit negationes duas, prout scilicet aliquid est in se indiuisum, & prout est diuisum ab alio, quod quidem diuidi est vnum eorum non esse alterum.* Haec S. D. quem sequitur hic Caiet. Ex quibus apparet primum dictum praefati expositoris directe opponi doctrinae D. Th. in dicta q. & a. & in 1. dist. 24. q. 1. a. 3. & alibi saepe confutat efficacissimis argumentis eam opinionem, quam exprimit Vasq. in primo dicto.

Resolutio. Multitudo non transcendit duas addere negationes super res multas: & forma numeri de genere quantitatis sic vltima vni-

Secundo contra secundum dictum eiusdem expositoris, legenda sunt, quae scribunt Paulus Soncinas lib. 10. Metha. q. 8. & alij sequen. & Iacobi. 8. Meth. q. 9.

Tertio considerandum est, quod sicut omnium entium, quae sunt in vniuerso, non est vna natura, neque vnus modus essendi, sed multiplex iuxta rerum diuersitatem: ita nec eodem modo specificantur, aut in esse constituuntur: Simplicia namque substantia se ipsis constituuntur & specificantur, vt patet de Deo & intelligentijs. Composita vero substantialia in suo esse constituuntur & specificantur a forma, in propria & essentiali potentia recepta: Composita vero ad genus accidentium pertinentia, quales sunt omnes species numerorum, quae sub genere quantitatis discrete continentur, constituuntur in specie ab vltima earum vnitatis formaliter, vt ait S. Th. 8. Meth. tex. 10. quoniam earum esse quamquam sit absolutum, ordinem tamen claudit vnitatum numerum constituentium, ad vnam quae est omnium vltima. Verum difficile valde est videre, quae nam ex vnitatibus numerum componentibus sit a parte rei omnium vltima: & quomodo haec vel illa vnitatis, ad hunc magis numerum componendum, quam alium aliquem ex intrinseca & naturali sua ratione seu proprietate concurrat, & alia plura, quae tangunt Vasq. & Suarez. quae tamen longe ante obiecerat Aureolus, vt refert Capreol. in 1. dist. 24. q. 1. Ad quarum difficultatum solutionem.

Quarto notandum est vltimam, siue etiam quamlibet vnitatem cuiuslibet numeri, dupliciter posse considerari: vno modo quatenus vltima est formaliter. Priori modo non habet, vt per se sit forma numeri constitutiua; cum nulla per se, ac necessario, siue naturaliter sit vltima; Nam si aliqua per se esset vltima, hoc esset secundum aliquem realem ordinem, aut temporis aut naturae aut finis aut dignitatis aut situs: Non primum, quia potest multa simul generari & a Deo produci: Non secundum, quia inter indiuidua eiusdem speciei vel etiam diuersarum, non est ordo naturae, quo vnum praesupponat aliud: Non ter-

*vltima vni-
tas v. si non
est forma
numeri.*

tium: quia vñm indiuiduum non est finis alterius eiusdem speciei; Non quantum: quia vñm lignum nō est perfectius altero eiusdem speciei; Non denique vltimum: quia potest creari vel etiam generari duo corpora, æquē distantia à Cælo, vel etiam ab eodem puncto orientis: sicut etiam in circulo duo possunt puncta designari æqualiter à centro distantia. Nullus igitur est ordo per se & naturalis inter vñitates numerū componentēs, præsertim eas sumēdo formaliter, quatenus ad genus pertinent quantitatis. Multas alias rationes subtiles accumulāt So. ncinās lib. 10. Meth. q. 9. ex quibus concludit in numero reali nullā esse vltimā vñitatē, quæ sit forma numeri, sed omnes ad numeri materiā pertinere: sicut etiam omnes partes cōtinui sunt eius materiā, & ex omnibus simul resultare totum discretum, quod est numerus, sicut ex omnibus partibus cōtinui resultat totum continuum. Dictū autem D. Th. ait intelligendum esse de numero abstracto; quoniam in eo est ordo prioris & posterioris, qui est ordo naturæ secundum esse cognitū; quia semper processus ad posteriorem præsupponit processum ad priorem numerum; cū non possit ad ternariū præcedi, nisi prius deueniatur ad binarium.

Vñitas quomodo sit forma numeri.

Mihi autem videtur dicendum, posse secundū considerari quamlibet vñitatem in quouis numero, vt eius completiū, constitutiū ad modum formæ, & quamlibet vel etiam quaslibet alias eiusdem numeri, vt eius materiā; nam hoc ipso, quod existentibus tribus vñitatibus additur quarta, resultat species quaternarij, satis apertē constat super additam vñitatem ad reliquas præexistentes, vt formā ad materiā cōparari; sed quia talis ordo, vt ante diximus, non est per se, aut necessarius; cum fieri simul possint omnes quatuor illæ vñitates; nec maior est ratio, quod vna sit aliarum formā, quā alia, & quamlibet secundum se est numeri quaternarij completiū; si quidē vna quauis addita vel subtracta, constituitur, aut destruitur species numeri: dicendum omnino videtur quamlibet esse formā ad ceteras comparatam, & quamlibet esse materiā respectu cuiuslibet. Nam quælibet respectu reliquarum duplicem habet rationem scilicet completiui, & potentialis complebilis siue perfectibilis in specie, quatenus rationem habet partis integralis in toto, quæ est conditio materiæ. Neque id absurdum est in tali rerum genere discretas, & vñius rationis formaliter habentis partes nullo adinuicem ordine copulatas, vt omnes vtroque partis scilicet materialis & completiui fungantur officio. Et quoniam speciei completiū vt sic rationem quandam habet vltimā, idcirco S. D. propriā numeri formā esse dixit vltimā vñitatem. Nec obstat plures esse in numero vñitates, & consequenter videri plures esse in eo formas; nam vna tantum secundum vnam rationem semper est forma, & omnes etiam simul sumptæ, prout habent rationem completiui, vñius formaliter completiui, & vltimæ vñitatis vicem gerunt.

Numerus est tantum vñus.

Ex dictis sequitur vñm esse tantum omnium quantitatem constantium numerum in vñuerso, qui continua additione & subtractione variatur; multos autem in potentia: cum enim non sit inter vñitates ordo naturalis, eandem habebunt omnes ad vñū, & eundē numerū cōponendum habitudinē, in quo necesse est reliquos oēs numeros in potentia dūtaxat absolute loquendo contineri: alioquin numerus nō esset vñū per se. Sed quāquam verū sit in illo vno numero ceteros o-

mnēs in potentia, & non actu simpliciter cōtinuari, vt etiā expresse docet Arist. 7. Metaph. text. 49. Communi tamē hominum exsultatione ac rerum vsu habent inferiores rerū numeri, vt esse dicantur & aliquo modo sint in actu. Primū, ex ipsa numeri natura, quæ partes habet actu discretas, s. vñitates, ex quib⁹ vna subtracta, vel extrinsecus addita, absq; reliquarū alteratione vel mutatione secundū se nouus statim resultat numerus. Secundū, quia manentibus etiā eisdē vñitatib⁹ inter se discretis habet intellectus, vnde plures numerorū species sua cogitatione distinguit. Tertiū, ex ipsis rerū numeratarū naturis, & earū conuenientia in aliquo genere, puta animalis, lapidis aut ligni, vel etiā in specie: distinguit enim saltem materialiter hæc rerū conuenientia sub vno genere, vel specie, numerū à numero conuenientiū in aliquo genere vel specie. Postremū, ad eandē numerorū differentia siue distinctionem plurimū conferūt accidentia, quæ sunt loca, situs, dominia, similitudines, relationes ac proportionēs, quas apertē constat esse magis inter hæc, quā inter illa rerū indiuidua: Ex quibus tamen omnibus etiā simul sumptis non efficitur simpliciter ac formaliter plurū numerorū actualis distinctio, sed materialiter tantum, per accidens & secundum quid.

Tam verū, quod ait Valsq. in diuinis personis ordinē esse prioris & posterioris, falsum est & examinandum infra q. 42. a. 3.

De verbis autē Amb. relatis à Magistro & hic à D. Th. in argumento ad oppositū, satis apertē constat ea fauere eius sententiæ, addita præsertim expositione D. Th. iuxta quā vera est opinio Magistri. Allatū est enim dictū Amb. ad ostendendā proportionale similitudinē inter vñitatē & multitudinem quo ad significationem negationis, quod etiam facit S. D. in text.

Valsq. dicitur deum reijci.

PRIMA CONCL. Nomen multitudinis transcendentis non significat formaliter aliquid positum, sed negationem tantum duplici additū superius, quæ dicitur multa. Hæc est conclusio D. Th. in littera satis ab eo probata.

SECUNDA CONCL. Numerus de genere quantitatis, sub ratione numeri, est aliquid positum reale, formaliter existens in rerū natura, in vna tantū specie ceteras in potentia continens. Hæc patet ex dictis, & latē probatur à dictis Metaphysicis.

TERTIA CONCL. Vltima vñitas est forma numeri abstracti.

QUARTA CONCL. In reali numero quælibet vñitas est eius constitutiua ad modū formæ, & ceterarū etiam respectu rationem habet materiæ.

VLTIMA CONCL. Cum veritate prædictæ quartæ conclusionis fiat etiā veritas dicti D. Th. videlicet vltimam vñitatem esse formā numeri realis.

CONTRA primam concl. argumētatur Valsq. 1. 1. cont. 1. Primū. Vñm & multa opponuntur contrariē concl.

vel saltem priuatiuē: si primum in vtroque extremo oportet etiam esse formā posituiam contrariam; si secundum: priuatio debet esse ex parte vñitatis, non ex parte multitudinis; quia ratio vñitatis in negatione consistit, vt ait S. Th. sup. quest. 11. art. 2. Resp. nullam esse conseq. quia sol. multitudini opponitur vñitas priuatiuē ratione diuisionis inclusæ in multitudine, quæ diuisionis est formaliter negatio; neque absurdum est vnam negationem respectu alterius induere modum quandam habitus, & per eam negari, quod tamen gratis negat Valsq.

Secundū. Si verū esset id, quod inquit S. Th. 1. 1. 2. multitudinē videlicet transcendentē nihil aliud esse

esse quam res ipsas cum negatione diuisionis circa vnāquamque, sequeretur vnum & multa non esse opofita; quia vnitas quā significat indi- uisionem, non opponitur indiuiſioni circa vnā- quamque rem, ſed diuiſioni plurium rerum inter ſe. Ergo multitudo non ſolum diuiſionis negatio- nem, circa vnāquamque rem, verum etiam di- uisionem plurium rerum inter ſe. Reſp. hoc argu- mento probari id, quod ante diximus ex D. Th. & Cai. duas ſc. negationes includi in ratione mul- titudinis, ex quibus altera eſt diuiſio.

Solutio.

Obi. 1. cont.
2. concl.

CONTRA ſecundam conſcluſ. argumentatur idem expoſitor. Numerus vt numerus conſtat ratione prioris & poſterioris, qui eſt ordo inter primam & ſecundam & tertiam, & reliquas vni- tates, ratione cuius dicuntur numeri diſſerre: At qui hic ordo & diſtinctio numerorum ſolum eſt per noſtrum intellectum; ergo. Probatu- minor; quia ſicut ab hac vnitatem incipimus nume- rare, & deſinimus in illam, poſſumus e contra- rio incipere. Hoc argumento vtitur etiam Suarez, & eſt deſumptum ex Paulo Soncinato 10. Meth. qu. 1. Reſp. nullum alium ordinem neceſſarium eſſe inter vnitates numerum componentis, quam po- tentia & actus, qualem eſſe diximus inter quam- libet vnitatem & reliquas alias numerum inte- grantes; & cum non ſit in rebus pluralitas actu numerorum, nec eſſe poſſit, vt ſupra diximus, ſed vnus ſit actu tantum numerus, in quo ceteri continentur in potentia, fruſtra ponitur a Vaſq. dictus ordo ad reales rerū numeros diſtinguendos.

Solutio.

Obi. 2.

Secundo argumentatur Suar. argumento Au- reoli contra eandem conſcluſionem. Ariſt. 4. Phyſ. 13. ait: Si id, quod numerare debet, eſſe non poteſt, nec numerabile quidquam eſſe poſſe; igitur ratione illius numerabilitatis non habet nu- merus maiorem vnitatem realem, quam ex ſe habeat ratione plurium quantitatum &c. Reſp. ex interpretatione D. Th. numerum rerum ab actu animæ non dependere, ſed ſolum ipſam actua- lem numerationem; & tamen conditionalem Ariſt. eſſe veram, ſicut hæc: Si impoſſibile eſt eſſe al- iquem ſentientem, impoſſibile eſt eſſe aliquid ſenſibile; nam ſi eſt ſenſibile poteſt ſentiri, & ſi poteſt ſentiri, poteſt eſſe aliquid ſentientis; licet non ſequatur, ſi eſt aliquid ſenſibile, eſſe etiam aliquid ſentientis; & idem dicendum eſt de nume- rabili. Vnde ad argumentum negatur conſeque- tia; quia numerabilitas illa fundametaliter ſumi- tur, & non eſt ſola extrinſeca denominatio, ſed eſt ipſa numeri natura, ex potentia & actu modo ſuperius expoſito conſtituta. Iauellus alio modo ſoluit in d. q. 9.

Solutio.

Reliqua argumenta contra eandem conſcluſio- nem, & ea etiam quæ poſſunt aduerſus tres vlti- mas militare, & præſertim ex Fonſeca, ex præno- tatis facile ſoluent intelligentes; non enim ex- pedit queſtionem Metaph. minime vtilitatis latius explicare.

ARTICVLVS IV.

Vtrum hoc nomen, perſona, poſſit eſſe commune tri- bus perſonis.

176
Inf. diſt. 25.
a. 3. & poſ.
q. 8. a. 3. ad
11. & q. 9. a.
4. ad 4.
182

Ad quartum ſic proceditur. Videtur, quod hoc no- men, perſona, non poſſit eſſe commune tribus per- ſonis. Nihil enim eſt commune tribus perſonis niſi eſſen- tia. Sed hoc nomen, perſona, non ſignificat eſſentiam in recto. Ergo non eſt commune tribus.

2. Præterea. Commune opponitur incommunicabi- li. Sed de ratione perſona eſt, quod ſit incommunicabi-

lis, vt patet ex diſſinitione Richard. de ſancto Viſt. ſupra poſita. Ergo hoc nomen, perſona, non eſt commune tri- bus.

3. Præterea. Si eſt commune tribus, aut iſta cōmuni- tas attenditur ſecundum rem, aut ſecundum rationem. Sed non ſecundum rem, quia ſic tres perſona eſſent vnā perſona. Nec iterum ſecundum rationem tantum, quia ſic perſona eſſet vniuerſale. In diuinis autem non eſt vniuerſale, nec etiam particulare, neque genus, neque ſpe- cies, vt ſupra oſtenſum eſt. Non ergo hoc nomen, perſo- na, eſt commune tribus.

Sed contra eſt quod dicit Aug. 7. de Trin. quod cum quaeretur quid tres, reſponſum eſt, tres perſona, quia commune eſt eis id, quod eſt perſona.

Reſpondeo. Dicendum, quod ipſe modus loquendi o- ſtendit, hoc nomen, perſona, tribus eſſe commune, cum dicimus tres perſonas: ſicut cum dicimus tres homines, oſtendimus hominem eſſe commune tribus. Maniſeſtum eſt autem, quod non eſt cōmunitas rei, ſicut vna eſſen- tia cōmunitas eſt tribus, quia ſic ſequeret, etiam eſſe perſonam trium, ſicut eſſentia eſt vna. Quod autem ſit cōmunitas, inueſtigantes diuerſimodè locuti ſunt. Quidam enim dixerunt quod eſt cōmunitas negatio- nis propter hoc, qd in diſſinitione perſona ponitur inco- municabile. Quidam aut dixerunt, quod eſt cōmunitas intentionis, eo quod in diſſinitione perſona ponitur indi- uiduum, ſicut ſi dicatur, qd eſſe ſpecie eſt commune quod & boni: & vtrumque horū excluditur per hoc, quod hoc nomen, perſona, non eſt nomen negationis, neque in- tentionis, ſed eſt nomen rei.

Et ideo dicendum eſt, quod etiam in rebus humanis hoc nomen, perſona, eſt commune cōmunitate rationis, non ſicut genus vel ſpecies: ſed ſicut indiuiduum vagum. Nomina enim ge- nerum vel ſpecierum, vt homo, vel animal, ſunt impoſi- ta ad ſignificandum ipſas naturas communes, non au- tem intentiones naturarum cōmunitum, quæ ſigni- ficantur his nominibus genus vel ſpecies. Sed indiuiduum vagum (vt aliquis homo) ſignificat naturam cōmuni- nem cum determinato modo eſſendi, qui competit ſin- gularibus, vt ſcilicet ſit per ſe ſubſiſtens diſtinctum ab alijs. Sed in nomine ſingularis & deſignati, ſignificatur determinatum diſtinguens. Sicut in nomine Sor. hæc caro, & hoc os. Hoc tamen inter eſt, quod aliquis homo ſignificat naturam, vel indiuiduum ex parte naturæ cum modo eſſendi qui competit ſingularibus. Hoc au- tem nomen, perſona non eſt impoſitum ad ſignifican- dum indiuiduum ex parte naturæ: ſed ad ſignifican- dum rem ſubſiſtentem in tali natura. Hoc autem eſt commune ſecundum rationem omnibus perſonis diui- nis, vt vnaqueque earum ſubſiſtat in natura diuina di- ſtincta ab alijs. Et ſic hoc nomen, perſona, ſecundum ra- tionem eſt commune tribus perſonis diuinis.

Ad primum ergo dicendum, quod ratio illa proce- dit de cōmunitate rei.

Ad ſecundum dicendum, quod licet perſona ſit in- communicabilis, tamen ipſe modus eſſendi incommu- nicabiliter, poteſt eſſe pluribus communis.

Ad tertium dicendum, quod licet ſit cōmunitas ra- tionis & non rei, tamen non ſequitur, quod in diuinis ſit vniuerſale, vel particulare, vel genus vel ſpecies: eum quia neque in rebus humanis cōmunitas perſona eſt cō- munitas generis vel ſpeciei: tum quia perſona diuina ha- bent vnum eſſe: genus autem & ſpecies, & quodlibet vniuerſale predicatur de pluribus ſecundum eſſe diſſe- rentibus.

Senſus quaſiti.

ET ſi cōmunitas nominis quaeratur in ritu- lo, modum tamen cōmunitatis præcipue S. D. intendit. Nam in ipſo corporis huius diſcur- ſus exordio, nominis huius perſona cōmunita- tē ex ipſo modo loquendi compertam eſſe pro- nunciat, & quaſtionem ac ſentētias de modo cō- mu-

q. 29. a. 3. ad
4. ad 3.

q. 2. a. 3.

Li. 7. de tri.
c. 5. & ſeq.
c. 1. lib. 5. c.
9 in fi. ſo. 3.

170

D. 738.

a
16
32
1
2. 13

K 4

mu-

munitatis proponit & examinat: an scilicet sit A
communitas negationis aut intentionis, aut rea-
litis secundum rationem

Forma Textus.

APERIT primò S. D. statum controuersie, distinguens ea, quæ per se manifesta sunt, ab ijs, de quibus Doctores variè sunt loquuti, duas eorum sententias distinctè referendo. Secundo simul ambas confutat vnico argumento. Tandem quæsito respondet hac

CONCLUSIO: *Nomen persone est commune tribus personis diuinis, non sicut genus vel species, sed sicut indiuiduum vagum.* Huius conclusionis sensum prius explicat: deinde probat S. D. tali argumento. Hoc nomen *persona* significat rem subsistentem in tali natura, non vt genus aut species, sed vt indiuiduum vagum; at personis omnibus diuinis commune est, vt vnaquæque subsistat in natura diuina distincta ab alijs; ergo hoc nomen *persona* &c.

Expositio Textus.

RESPONSIO ad secundum explicanda est per ea, quæ docet S. D. supra *quæst. 29. artic. 1. ad 1. Et de potentia quæst. 9. art. 1.* & per ea, quæ disputat Caietanus in *prædicamentis*, vbi explicat definitionem substantiæ primæ.

Dub. tatio. *CIRCA resp. ad 3. negat S. D. personam esse vniuersalem, & quod vniuersale prædicetur de pluribus secundum esse differentibus, personæ verò diuinæ habent vnum esse; Cuius tamen oppositum videtur affirmare Caiet. in prædicamentis, soluens motum ibi dubitationem, circa definitionem substantiæ primæ. Sed obserua Caietanum loqui in communi de substantia primæ, cuius esse est diuersum in substantia creata, & increata, & in singulis substantijs creatis: & eadem ratione persona communissimè sumpta est vniuersale ad personam creatam & increatam, & ad singulas personas creatas; quoniam in eis habet diuersum esse. Persona verò diuina, de qua loquitur hic S. Th. non est vniuersale ad tres personas, quarum est vnum esse. Vnde propositio illa Cai. Omne diffinibile & certitudinaliter scibile est vniuersale: & id cuius diffinitio prædicatur de pluribus vniocè est vniuersale, glossandæ sunt de diffinibili prædicabili habenti diuersum esse in inferioribus subiectis.*

CONTROVERSIA VNICA.

An nomen persone significet rationem aliquam realem, communem secundum rationem tribus personis?

Sententiæ Doctorem.

TORRES *a. 4. q. 1. præced.* respondens huic quæsito dicit quatuor. **Primum:** Nomen personæ est nomen secundæ intentionis. **Secundum:** Persona diuina est communis tribus personis, non ratione rei & significati, sed ratione significationis communis quam habet. **Tertium:** Responderi potest hoc nomen persona diuina esse commune tribus personis ratione illius modi quem importat, qui est per se existere absque communicatione. **Quartum:** Iste modus non est aliquid posituum in tribus personis, sed est priuationem quoddam; quia communicationis priuationem dicit.

Molina dicit quinque. **Primum:** Persona de formali non significat aliquid reale, sed in concreto quippiam rationis, supponitque pro re-

bus, quæ dicuntur personæ. **Secundum:** Hæ propositiones, Pater est persona, Filius est persona, non sunt essentielles sed accidentariæ: sicut hæc, Socrates est indiuiduum. **Tertium:** Persona non est quippiam commune instar indiuidui vagi. **Quartum:** Vera est sententia Scoti dicentis vocabulum *persona* de formali significare in concreto incommunicabile naturæ rationalis; supponere verò pro rebus realibus, quibus conuenit huiusmodi incommunicabilitas, quæ negatio quædam est. **Quintum:** Probabilius est personam de formali dicere substantiam, & addere incommunicabilitatem in natura rationali.

Vsq. duo dicit. **Primum:** Probabilior est ea sententia, quæ docet nomen personæ significare quidem conceptum communem huic & illi personæ; non tamen significare rationem communem quidditatiuè paternitati & filiationi, vt significantur his nominibus relatiuis. **Secundum:** Nomen personæ significat denominationem, & modum subsistendi incommunicabiliter comparatione Petri & Ioannis: quamuis sit essentialiter huic & illi personæ, vt nomine personæ significantur.

S. D. suam sententiam explicat vnica conclusione, videlicet. Hoc nomen persona non est commune, communitate negationis, aut intentionis, sed communitate rationis; non sicut genus vel species, sed sicut indiuiduum vagum: quam sententiam sequuntur & explicant nostrates omnes expositores post Capr. in 1. dist. 25. qu. 1. quos etiam sequitur Suarez libr. 1. de myster. Trinit. c. 3.

Caietanus addit: In hac propositione, Pater est persona diuina, prædicatum essentialiter dicitur respectu subiecti; quamuis comparatione huius propositionis, Pater est Deus, in qua prædicatum est simpliciter essentialiter, prioris illius propositionis prædicatum dicat modum, atque ideo dicatur commune, vt indiuiduum vagum.

QUATVOR implicantur in hac vna controuersia difficultates: **PRIMA** est: *An nomine personæ in diuinis significetur negatio, an aliqua ratio positua communis tribus personis;* **SECUNDA:** *An admissa significatione rationis positua sit hæc ratio realis, an intentio secunda, seu ens rationis;* **TERTIA:** *An nomen persona dicat vnum conceptum præcisum vniocè dictum de tribus diuinis personis, vel relationibus subsistentibus;* **QUARTA** est: *An persona quidditatiuè, seu essentialiter prædicetur de singulis in vna Deitate personis?*

Sciendum est primò ex D. Tho. in 1. dist. 25. q. 1. a. **Resolutio.** 3. duplicem esse communitatem: vnā rei, & alteram rationis. Communitas rei est, quando aliquid quod vnum & idem numero conuenit pluribus: & talis communitas est in sola diuina natura respectu trium personarum. Communitas autem rationis duplex est; quædam habens fundamentum in negatione aut intentione siue ente rationis per nomen significato; Alia quæ fundatur in re per nomen significata: sicut ratio animalis communis est homini & vrsō. Et hæc ratio fundata in re (inquit S. D.) duplex est, scilicet communis, vt ratio animalis: & specialis, vt ratio hominis. Cum igitur in diuinis realiter sit relatio, consequens est ibi etiam esse communem rationem relationis: & cum sit ibi realiter etiam paternitas & filiatio, ibi est etiam specialis ratio paternitatis, & specialis ratio filiationis realiter. Est igitur relatio communis paternitati & filiationi, sicut ratio communis rationibus specialibus. Et ad-

addit S.D. Nec tamen ex hoc sequitur, quod relatio sit vniuersale ad paternitatem, & filiationem; quia vniuersale est secundum aliud & aliud esse in suis inferioribus: in diuinis autem est tantum vnum esse: unde idem esse relationis est in paternitate, & filiatione. Hæc Diuus Thomas. Ad quorum euidenciam.

Vnitatis formalis duplex,

Vnitatis & Communitatis differentia.

Secundo Notandum est ex Caietano in 4. c. de ente & essentia duobus modis posse duo vel plura supposito distincta esse vnum formaliter; vno modo per adunationem eorum in aliquo extra animam illis communi, & in eis indiuiso; & hoc modo sola diuine persone sunt vnum in essentia; Alio modo plura distincta supposito sunt vnum formaliter per mutuam negationem inter se diuisionis formalis: & hoc modo qualibet indiuidua sub vna specie contenta nullo intellectu considerante sunt vnum formaliter in natura specifica. Nam Petrus nullo intellectu considerante habet hanc negationem, vt non sit diuisus à Paulo formaliter, & e contra; & idem dicendum est de speciebus sub vno genere contentis. Sed hæc vnitatis siue negatio mutue diuisionis quoad gradum genericum vel specificum non est ipsius rei, siue rationis formalis indiuisa communitas, aut eius constitutiva: sed fit natura communis formaliter per indifferentiam ad plura numero vel specie: quam indifferentiam fortitur natura, siue ratio formalis ex consideratione intellectus, qui natus est ea, quæ sunt adunata diuidere, ac proinde naturā in re conditionibus indiuiduantibus annexam secundum se considerare, ac solitariē sumere, & vt indifferentem accipere; & sic eidem conferre communitatem negatiuam, cum prius ex se ipsa, siue à parte rei solam haberet vnitatem formalem, vt ante diximus. Quod igitur commune est negatiua communitate habente fundamentum in re, natura quædam est aut gradus vel realitas addita eidē solitudine siue abstractione per intellectum, qua fit indifferens ad multa ac proinde communis negatiuē: quam negatiuam communitatem appellat S.D. communitatem secundum rationem ob dictam causam; quia nimirum ex sola ratione fortitur indifferentiam, non autem quod res ipsa de pluribus prædicata sit ens rationis; Animal enim vel homo, quæ de pluribus prædicantur, realem dicunt naturam in prædicamento substantiæ collocatam; quamuis eorum communitas & indifferentia fiat per intellectum abstrahentem. Caiet. verò considerans rem hoc nomine, *persona*, significatam esse realem, & fundamentum communitatis, dixit communitatem huius nominis *persona*, esse communitatem rei significatam.

Personam significare aliquam rem lepositiū.

Tertio: Pro comperto habendum est in doctrina D. Th. & in ipsa rei veritate, nomen *persona* significare formaliter aliquid reale positium, prout latè probat Caietanus in 3. p. q. 4. a. 2. & post eum Suarez & alij recentiores. Rationes verò præcipuæ sunt hæc; Prima, quia personalitas est constitutiva susceptiui per se primò actus essendi, & etiam filiationis in natura rationali; Secunda, quia per assumptionem humanitatis ad verbum impedita est propria humanæ naturæ personalitas; Tertia, quia Aristot. in prædicamento substantiæ ait primam substantiam esse propriè, principaliter ac maximè substantiam: & in 5. Metaphysic. in c. de substantia Arist. distinxit substantiam in hypostasim & essentiam; sicut igitur hæc dicit ens per se, id est, non in alio tanquam in subiecto, sic illa, sc. hypostasis dicit ens per se, id est, separatim existens, qui modus est essendi realis & maxima rei perfectio; Quarta, quia nomina hypostasis, perso-

na, & nomina naturarum cum pronomibus, vt hic homo, hic bos, & nomina demonstratiua personaliter, vt ego, tu, ille, significant substantiam formaliter, non autem negationem aut accidens, vel ens rationis; Quinta, quia persona verbi in incarnatione supplet personam humanam, non supplet autem nihil, aut ens rationis, sed aliquid reale; Sexta, quia si natura dimitteretur à verbo, resurgeret noua persona subsistens; Septima specialiter in diuinis; quia diuinæ persone per reales proprietates relatiuas constituuntur, & distinguuntur in esse personali. Quid autem sit hæc realitas, quam adiungit naturæ personalitas, aut subsistentia, diffinit Caietan. dicens eam esse terminum vltimum vt sic purum naturæ substantiæ, atque realitatem hanc pertinere ad genus substantiæ reductiuè; singulas diffinitionis allatæ particulas latè probat & explicat Cai. in alleg. q. 4. a. 2. quem lege, si placet. Significat igitur nomen persone formaliter modum realem, scilicet subsistentiam incommunicabilem in natura rationali: sicut hypostasis, siue substantia prima eundem modum significat in tota substantiarum latitudine. Qualis autem sit hypostasis, siue substantia primæ persone communitas, & quomodo congruant eis diffinitiones Aristot. Boetij, & D. Th. subtiliter explicat Caiet. in prædicamento substantiæ ex doctrina S.D. in hoc a. & alibi. De modo verò prædicationis vniuocæ vel æquiuocæ nomen persone dicatur in diuinis de tribus, nihil expressum habemus à D. Th. nisi quod in 1. negat esse analogum; ex quo videtur necessariò sequi illud esse vniuocum, cum manifestè constet non esse purè æquiuocum. Hoc idem alijs argumentis probant Zumellus & Suarez in dicto c. 3. n. 8. An verò sit essentialis & quidditatiua prædicatio persone diuinæ de singulis in Trinitate, satis explicat & probat Cai. in hoc a. quem sequitur Suarez supra. Quamuis enim absolute loquendo persona non dicat essentiam huius & illius persone, nec prædicetur in quid, (hoc enim proprium est naturæ, vt distinguitur contra personam) sed in cuiusmodi: si tamen sermo sit de hac vel illa persona, quatenus persona est nomen comune persone, de singulis quidditatiuè prædicatur; nam singulis quidditatiuè conuenit subsistentia: & nomen persone in diuinis significat relationem personarum constitutiuam & illis intrinsicam; Patri namque diuino vt pater est, paternitate scilicet subsistente constitutus, conuenit essentialiter & quidditatiuè subsistentia relatiua & personalitas. Quæstio denique de nominis eiusdem vniuersalitate quam illi denegat hic S.D. & in 1. quidam autem affirmant, potius videtur esse de nomine, quàm de re, vt hic aduertit Iauel. qui Baconis sententiam existimat non nisi verbis esse differentem à D. Th. doctrina.

Personalitas quid sit ex Cai.

Qualis communitas persone.

Persona prædicatur vniuocè.

Persona prædicatur essentialiter.

An sit vniuersale.

PRIMA CONCL. Nomen persone non significat formaliter negationem, aut intentionem, siue ens rationis, sed aliquid positium reale. Hanc probat in littera S. D. quia nomen persone est nomen base rei: & patet ex multis argumentis superius tactis.

Conclusio deducitur de præfata.

SECUNDA CONCL. Nomen persone significat formaliter modum realem particulariter, siue incommunicabiliter existendi, pluribus communem, ad modum indiuidui vagi. Hæc est Ang. Doctoris in textu, & probatur à Cai. in prædicamento substantiæ.

TERTIA CONCL. Persona communitas non est positum, siue secundum rem. Hæc est D. Tho. in hoc a. & in 1.

QUARTA CONCL. Persona nomen in diuinis significat.

significat realem subsistentiam tribus communem negatue, siue secundum rationem. Hæc est D. Th. in littera & patet ex dictis; & eadem est ratio de persona humana, & angelica in ordine ad singulas personas.

QVINTA CONCL. Nomen persona in diuinis prædicatur quidditatiue, & essentialiter de tribus personis, modo superius explicato; & eadem est ratio de humana & angelica persona.

SEXTA CONCL. Nomen persona vniuocè dicitur in diuinis.

VLTIMA CONCLUSIO. Nomen persona non significat in diuinis aliquid vniuersale propriè loquendo. Hæc est D. Thomæ in respons. ad 3. & in 1.

Argum. & Solutiones. **CONTRA primam conclus.** sunt argumenta Aureoli à Capreolo relata & soluta in 1. dist. 25. q. 1.

Ob. 1. cons. 1. concl. **CONTRA eandem** argumentatur Molina. **Primò:** Persona diffinitur à Boetio per indiuiduum: à Richardo verò per incommunicabile; hæc autem de formali non reale aliquid significant, sed rationis; ergo.

Sol. Resp. nullam esse consequ. quoniam, ut inquit S. Th. in q. præc. a. 1. ad 3. arg. quo nunc vtitur Molina, nomina intentionum possunt accipi ad diffiniendum res, quatenus accipiuntur pro nominibus rerum, quæ non sunt posita ob causam ibidem assignatam.

Obi. 2. **Secundò:** Si persona significat aliquid aliud ab eo cui cōuenit, ut sit persona, cum id reale, quod vnaquæque persona addit supra naturam, sit quid incommunicabile, ac alterius & alterius rationis in alia & alia persona tam creata quam increata, commodius dicitur vocabulum persona (quod de singulis dicitur) significare de formali modum rationis, qui hos distinctos gradus in singulis personis consequitur: supponere verò pro rebus realibus, quæ dicuntur personæ, quàm significare gradus ipsos. Neque enim fingi potest, quid aliud vocabulum persona significet, quàm vel hos gradus indistinctè, vel modum rationis communem personis, qui eos consequitur. **Sol.** Resp. nullam esse consequentiam. Ad probationem negatur antecedens, videlicet, illud incommunicabile, quod vnaquæque persona addit supra naturam, esse alterius rationis in alia & in alia persona eiusdem naturæ. Personalitas enim siue subsistentia in humana natura eiusdem est rationis vniuocè in omnibus indiuiduis formaliter loquendo; & similiter subsistentia cuiuslibet personæ diuinæ: Nam, etsi differant diuinæ personæ quasi specie proprietatis personalis, vniuocè tamen conueniunt in vna ratione subsistentiæ relatiuæ personalis; & hanc subsistentiam significat personæ vocabulum.

Obi. 3. **Tertiò:** Si persona de formali significaret id reale, quod vnaquæque persona addit supra naturam: sanè persona Patris relatiuè diceretur ad Filium, non solum quatenus Pater, sed etiam quatenus hæc persona: Probatur sequela; quia significatum formale huius personæ ut hæc, non esset aliud, quàm relatio realis ad Filium. Nec significari distinctè sub ratione huius paternitatis in concreto tolleretur rationem huius personæ, quatenus hæc numero persona est, si formale huius personæ, quatenus persona est, non est aliud, quàm paternitas ipsa in concreto, qua paternitas ac relatio est. **Sol.** Resp. nullam esse consequ. si particula illa hæc persona, denotet non tantum rem significatam, sed modum significandi expressum nomine personæ. Ad probationem negatur antecedens;

A quia significatur formaliter modus absolutus scilicet personalitas ut sic.

CONTRA secundam conclus. argumentatur idem expositor. **Primò:** Singuli gradus, quibus singulæ personæ constituuntur vltimo in esse Socratis, Michaelis &c. sunt simplicissimi & primò diuersi. ergo nullam habent inter se conuenientiam essentialem; ergo non possunt concipi sub vno conceptu communi vniuocò. **Resp.** falsum esse antec. loquendo de gradibus id est subsistentijs personarum eiusdem naturæ: conueniunt enim in communi ratione subsistentiæ.

Secundò. Persona afficitur signo particulari, **Obi. 1.** quemadmodum & quoduis aliud vniuersale: dicimus namque quædam persona generat; ergo

B persona non est quippiam commune multis instar indiuidui vagi. Patet consequentia; quia indiuiduum vagum non afficitur iterum signo particulari; ineptè quippè dixeris, quidam aliquis homo. **Resp.** cum D. Tho. hic, & Capr. in 1. **Solutio.** ad primum Aureoli contra 4. concl. duplex esse indiuiduum vagum: Vnum, quod formaliter significat indiuiduum ex parte naturæ cum determinato modo existendi, qui singularibus conuenit, ut aliquis homo; Aliud, quod formaliter indiuiduum significat ex parte modi existendi, & ex consequenti naturam: ut hoc, quod dico persona, quæ formaliter & rectè significat subsistens in natura &c. Ad argumentum negatur consequ. Ad probationem dico indiuiduum vagum primo modo non affici iterum signo particulari; quia tale indiuiduum significat naturam sub modo existendi, qui competit indiuiduo: & ille modus vagè designatur, siue communiter per signum particulare, ut dicendo aliquis homo, aliquid animal: cui non vltius potest superaddi aliud signum denotans vltiorem vagationem, sed indiuiduum vagum. **Secundò** modo designat sine tali signo particulari aut partitiuo; & idè ei non repugnat vltior designatio talis modi per signum particulare. Hæc ferè ad verbum ex Cap.

CONTRA hanc responsionem instat Molina. **Primò:** quia indiuiduum vagum ex eo non potest affici signo particulari, quia significat modum existendi particulariter, qui modus existendi nequit determinari per alium modum; si ergo persona significat eundem modum de formali & in recto, non poterit existere particulariter per alium modum, ac proinde neque affici signo aliquo particulari. **Secundò.** Indiuiduum vagum, ut quidam homo, est complexum quoddam ac vnum per accidens; Nam idem est dicere quidam homo & vnus homo, & dicere quidam homines & multi homines; ergo dictio quidam non significat id reale, quo indiuidua, quibus applicatur, constituuntur vltimò, ac distinguuntur adinuicem. **Resp.** ad 1. & negatur antecedens: Nam propria causa ob quam indiuiduum vagum primo modo non potest affici signo particulari, est quia semel determinatum est signo particulari; sequeretur enim nugatio; nam quo ad rem significatam nulla videtur absurditas. **Ad secundum** negatur antecedens; Nam indiuiduum vagum, ut quidam homo, est vnum per se; ex natura enim & eius modo, qui est subsistentia, fit vnum per se: sicut etiam cum dico vnus homo, & quidam homines, si dictio illa, quidam, significet solum subsistentiam siue modum subsistendi indiuiduali: si verò significetur pluralitas, alia est questio ad rem præsentem minimè pertinens.

CONTRA quintam conclus. argumenta. Vsq. **Obi. cont. 5. Pex. conclus.**

Persona diffinitur per indiuiduum seu incommunicabile: sed hæc duo non significant conceptum quidditatum rerum sed denominatiuum; ergo persona significat rationem denominatiuum comparatione Petri & Ioannis, quamuis sit essentialis huic & illi personæ, ut nomine personæ significantur. ergo non potest à Patre, & Filio, & Spiritu S. abstrahi conceptus communis quidditatiuè: bene tamen commune quasi proprium earum; proprium autem denominatiuè prædicatur. Minor probatur; quia indiuiduum est veluti passio propria cuiusque rei in ratione entis, sicut bonum; passio autem non prædicatur in quid, sed denominatiuè. *Resp.* falsam esse minorem propositionem. Ad probationem negatur assumptum; nam indiuiduum ad naturam communiter siue absolute sumptam comparatur, ut complementum in eodem genere, non autem ut passio. Ad ens autem comparatur ut modus rei, de qua dicitur, intrinsecus: & ideo communiter sumptus de rebus singulariter existentibus prædicatur quidditatiuè.

CONTRA sextam concl. est argumentum, quod proponit & soluit Iauellus ex Ioanne Baccone, quo nihil probatur contra mentem D. Thomæ.

Ob. 1. con. *Sol. 1.* Ob. 2. *Sol. 2.*

CONTRA ultimam possunt adduci duo argumenta ex Caiet. loco superius allegato in prædicamento substantiæ, ubi sic argumentatur. Omne diffinibile, vel certitudinaliter scibile est vniuersale: sed persona est diffinibilis, seu scibilis, ergo. Minor probatur: quoniam de singularibus non est scientia. Secundo. Id cuius diffinitio prædicatur de pluribus vniuersale, est vniuersale: sed diffinitio tota personæ prædicatur de pluribus vniuersale; ergo persona est vniuersalis. *Resp.* falsam esse minorem primi argumenti; non enim persona diuina est diffinibilis. Secundo dico maiorem non esse veram nisi in rebus creatis, ubi id, quod est scibile, distinguitur secundum diuersa esse in singularibus. Ad secundum dico falsam esse maiorem, quando id, quod de pluribus prædicatur, non est in eis secundum aliud & aliud esse.

QVAESTIO XXXI.

De his quæ ad unitatem, vel pluralitatem pertinent in diuinis in quatuor articulos diuisa.

POST hæc considerandum est de his, quæ ad unitatem vel pluralitatem pertinent in diuinis.

Et circa hæc quaruntur quatuor.

Primo, De ipso nomine trinitatis.

Secundo, Virum possit dici, filius est alius à patre.

Tertio, Virum dictio exclusiua, quæ videtur aliam rem excludere, possit adiungi nomini essentiali in diuinis.

Quarto, virum possit adiungi termino personali.

Ratio ordinis articulorum huius quaestionis.

TOTA hæc quaestio, in qua S. Th. agit de his, quæ ad unitatem vel pluralitatem pertinent in diuinis, est de modo loquendi per terminos & propositiones, quatuor habens articulos optimo ordine dispositos; Nam incipiens quasi à communioribus agit de modo loquendi primo quo ad hoc nomen Trinitas: an scilicet conuenienter dicatur in diuinis. Secundo quoad nomina significantia distinctionem vnius personæ ab alia. Tertio quo ad dictionem vel dictiones exclusiuas adiunctas terminis essentialibus, quibus dictionibus exclusiuis significatur quædam compara-

tio essentialis ad attributa essentialia, vel etiam ad personas siue proprietates personales. Quarto, & vltimò agit de modo loquendi quo ad dictionem exclusiuam adiunctam termino personali, quæ significatur quædam comparatio personæ ad prædicata essentialia vel notionalia. Vnde etiam in nobis primò gignitur per fidem notitia Trinitatis personarum: Secundo vnam personam alteri comparamus: Tertio essentialiam, in qua vniuntur personæ, consideramus in ordine ad attributa & personalia: Demum personas, tum per ordinem ad essentialia, tum per ordinem ad personalia siue notionalia contemplamur.

B

ARTICVLVS PRIMVS.

Virum sit Trinitas in diuinis?

AD primum sic proceditur. Videtur, quod non sit Trinitas in diuinis. Omne enim nomen in diuinis vel significat substantiam vel relationem. Sed hoc nomen, trinitas, non significat substantiam, prædicaretur enim de singulis personis: neque significat relationem, quia non dicitur secundum nomen ad aliud. Ergo nomine trinitatis non est vtendum in diuinis.

2. Præterea. Hoc nomen, trinitas, videtur esse nomen collectivum, cum significet multitudinem. Tale autem nomen non conuenit in diuinis, cum vnitatis importat a per nomen collectivum sit minima vnitatis. In diuinis autem est maxima vnitatis. Ergo hoc nomen trinitas, non conuenit in diuinis.

3. Præterea. Omne trinum est triplex: sed in Deo non est triplicitas, cum triplicitas sit species inaequalitatis. Ergo nec trinitas.

4. Præterea. Quicquid est in Deo, est in vnitatis essentie diuina, quia Deus est sua essentia. Si igitur trinitas est in Deo, erit in vnitatis essentie diuina. & sic in Deo erunt tres essentialia vnitates, quod est hereticum.

5. Præterea. In omnibus quæ dicuntur de Deo, coneretur prædicatur de abstracto. Deitas enim est Deus, & paternitas est pater. Sed trinitas non potest dici trinitas, quia sic essent nouem res in diuinis, quod est erroneum. Ergo nomine trinitatis non est vtendum in diuinis.

Sed contra est, quod Athanasius dicit, quod Vnitatis in trinitate, & trinitas in vnitatis veneranda sit.

Respondeo. Dicendum, quod nomen Trinitatis in diuinis significat determinatum numerum personarum. Sicut igitur ponitur pluralitas personarum in diuinis, ita vtendum est nomine trinitatis, quia hoc idem, quod significat pluralitatem indeterminatam, significat hoc nomen trinitas determinatam.

Ad primum ergo dicendum, quod hoc nomen trinitas, secundum etymologiam vocabuli, videtur significare vnam essentialiam trium personarum, secundum quod dicitur trinitas quasi trium vnitatis. Sed secundum proprietatem vocabuli, significat magis numerum personarum vnius essentialia; & propter hoc non possumus dicere, quod pater sit trinitas, quia non est tres personæ. Non autem significat ipsas relationes personarum, sed magis numerum personarum adinuicem relatarum: & inde est, quod secundum nomen, ad aliud non refertur.

Ad secundum dicendum, quod nomen collectivum duo importat, scilicet pluralitatem suppositorum, & unitatem quandam, scilicet ordinis alicuius. Populus enim est multitudo hominum sub aliquo ordine comprehensorum. Quantum ergo ad primum, hoc nomen, trinitas, conuenit cum nominibus collectivis: sed quantum ad secundum differt, quia in diuina trinitate, non so-

In suo Symbolo fidei.

D. 358.

luz.